





ΓΑΜΗΛΙΑ

quibus

Novi Conjuges:

ORNATISSIMUS ATQ;
Integerrimus, vir-Iuvenis IO-
HANNES SCHAMBACHIUS Er-
phordiensis, aurifex & gemmarius
Stetinensis, Sponsus:

ET

Honestissima ac Pudicissima Virgo

ELISABETHA,
Prudentissimi & Consultiss.
Viri Dn. THEODORI Meckenheusers
Reipubl: Neo-Brennopyrgensium
Senatoris digniss. Filia:
Sponsa;

*Consuetâ & Christianâ solennitate
nuptias Stetini celebrantes pridiè No-
nas Novembris,*

ANNO

BeneDICat nos DeVs, DeVs noster.

Ab amicis accinuntur.

STETINI, Typis Duberianis.

Votum Nuptiale.


Ertus ineſt, terræ cunctis animalibus, ardor,
Principio mundi, quæ creat, ipſe DEUS.
Sufficiens, turtur, (dicto ne cætera tangam,)
Caſtus cum caſtâ conjuge, teſtis erit:
Ipſe etenim, ſociâ lethali vulnere ſtratâ,
Non renovat Venerem, at nocte dieq; dolet;
Non ſpectat frondes nemorum, non pabula curat,
Dum videt abreptam, quæ ſibi chara fuit.
Sin cernat ſociam ſecum, quod luce fruatur,
Exultat nimium, læticiaq; fremit;
Nec plures unâ placido ſibi fœdere jungit,
Aſt ſemel electam ſervat ubiq; ſibi,
Diligit hanc ſolam: Dum fotis incubat ovis
Jlla, bonus charæ proſpicit ille cibo;
Nec ſentit blandus, venis turgentibus, iras
Magnas, dum prorſus bile feroce caret;
Sed nexu ſociæ perblando jungitur ora
Maſculus: Hæc iterum, jungitur ore Maris.
Summatim. Obſequium blandum, mens, una voluntas,
Unus & amborum corda gubernat amor.
SIc precor haud fictus, veſtri, circumſerat ardor
Svavia perſancti fœdera conjugij.
Concordes Sponſi, concordis turturis inſtar
Cum ſociâ ætatis vivite ſecla ſimul.
Triſtes à vobis procul hinc, procul inde procellas
Pellit propitius, qui regit aſtra, DEUS:

Fer-

Ferveat in tectis semper *Pax aurea* vestris,
Frigescat, pariens jurgia, turpis Eris:
Et maneat sic una fides, sic una voluntas,
Sic maneat vobis fervidus unus amor:
Namq; tibi est hæc ELISABETHA columbula, cujus
Fervidus in cunctis ossibus hæret amor.
Est lepidus flos, SPONSE, tuum, ELISABETHA, levamen
Dulce, decus, nectar, basiolumq; tuum.
Hanc igitur plenis, hanc SPONSE amplectitor ulnis,
Sponsula tu Sponsi pectora conde sinu:
Murmure blandisono vos jungite labra labellis,
Et nitidis nitidas jungite sæpe manus.
EXcellit turtur cunctis librantibus alis
Aëra per tenuem corpora pennifera;
Corporis haud formâ cultâ, non robore vasto,
Carmine non svavi, mellifluoq; sono,
Non celeri cursu, trepidans, nimioq; volatu:
Sed sobolis dulci fertilitate suæ:
Non etenim semel, aut non bis, sed terve quaterve
Treppidulos pullos hæc parit, ille fovet.
SIc precor, ut felix, fœcundum, fertile, vestrum
Connubium, castus ditet ubiq;, DEUS.
Fœcundet vestri castissima vincula lecti,
ELISABETHA ferat pignora chara tibi.
Pignora multa ferat, stent undiq; & undiq; prole
Vestra beata domus, non minus atq; thorus.
AËrias, tandem, volucres cum turture turtur
Exuperat, plures annumerando dies.
SIc precor, & vobis cordis penetralibus opto,
Concedat vitæ, tempora longa DEUS,

Vivatis Pylij, longævi & Nestoris annos.
Hæc precor eveniant: SPONSE VALETO DIU.

L:
L:

Johannes Dabelovius Neobrennopyr-
gensis Melagoburgicus.

ÆNIGMA.

Convivis nuptialibus propositum.

Dulcis-amarities *Paradysi crevit in horto,*
Jhova *propagavit*, Ihova *rigavit eam.*
Non sine felle manet, caret hæc non melle: quod (ergò
Hoc sit ab ominibus nomen adepta reor.
Si quis adest vestrûm, qui quid sit dicere poßit
Dulcis-amarities: Oedipus alter erit.
Hoc sed qui nequeunt ænigma resolvere nostrum,
Quisquè referta mero pocula trina bibant.

Teutsch Rätzell.

EIn Kreutlein wuchß im Paradyß/
Welches die Süß-bitterkeit hieß.
GOtt hat besprengt vnd propagirt
Dasselb/auch zu vns transferirt.
Dieß Kreutlein bitter ist als Gall/
Vnd Süß wie Honig vberall.
Rath zu waß doch woll müge sein/
Diß für ein seltzam Kreutelein?

Dul-

Dulcis-amarities ne quid sit nesciat isthæc
Quisquam: Teutonicis ipse resolvo metris.

Aufflösung.

DJeß Kreutlein ist der Ehestandt
Von Gott gestifft/mit allerhandt
Segen begnadt/ mit schutz bedeckt:
Daher ehr gleich als Honig
Aber dieselbig süssigkeit (schmeckt.
Mit Gahln des Creutzes zubereit
Wird den Ehleutn so bitter offt/
Das sies nimmer hetten gehofft.
Aber wolln sie das guht geniessn/
Müß jhn auch das böß nicht verdriessn.
Derhalbn wenn sie mit Creutz beladn/
Solln sie Gott bittn/ das er aus gnadn
Solchs endern woll: Wenn er das thut/
Solln sie gedenckn/das nach dem guht
Baldt Creutz vnd noth könn wiederkern/
Vnd eins vom andern sey nicht fern.
Hierin solln sich dieß new Ehleut/
Auch schicken/vnd solchs mercken heut.
So werden sie fein Ehlig lebn/
Vnd Gott wird jhnn sein Segen gebn.

Solchs wünsch ich jhnn zu dieser frist
Von Gott dem Vatr durch Jesum Christ.

Jehova Regat Thalamum.

ALIVD.



Vspice casta DEO si fiunt fœdera, cedit
Ominibus semper vita jugata bonis.
Quæ nota JANE tibi dum sunt, tu fœde-
(ris unum
A Iove principium ducis amande novi.
Ad templum pergis magnâ comitante catervâ,
Quos superis posses æquiparare, virûm.
Hi commendabunt votis ardentibus omnes
Connubij vestri prospera cœpta DEO.
Ipse precare DEVM, duplex qui fœdere corpus
Vno conjungit, quo tua cœpta regat.
Sis mea, sum (dicas) tuus ut, mea Sponsa : deinceps
Viq́; sinet donec mors fera, semper ero.
Mox ubi vota DEVS suscepit, cedite templis:
Quisquis & instructæ limen adite Domus.
Tempus adest, (tu dic) plenis accumbite mensis,
Concessumq́; DEO carpite dente cibum.
Este leves animis, id præsens flagitat hora:
Protinus abscedas, hic Cato si quis ades.

Quis-

Quisquis ades, lætus licitis precor utere donis:
Ex multis aliquid, quod juvet, esse potest.
Estis ubi saturi, nudant ubi lintea mensas,
Tibia festivas & sonat ante fores:
Surgite vos juvenes, consurgunt quando puellæ,
Et licitas operas officiumq; petunt.
Ferte referte pedes, sed damna cavete choreis,
Nec levet immodicos cura soluta pedes.
Ludite, sed castè: jocus absit ineptus & amens,
Virgineum solvat nulla cupido decus.
Tu quoq; Sponse choros cum Sponsâ cumq; puellis
Duc alijs, donec tempus adesse vides.
ELISABETHA thorum tecũ quo scandere debet,
Desere Sponse chorum tunc, & adito thorum.
Dic: mea Sponsa veni, conscende cubilia mecum,
Fac tua quod fecit mater: Amata veni.
Quod superest: castus castâ cum conjuge vivas,
Hoc pia cum sancto fœdere jura jubent.
Delitias, mollesq; jocos suavesq; susurros
Et vobis thalamus pignora multa ferat.
Virtus invidiam superet, rixasq; malignas
Avertat stabilis mutua cura thori.
Non vobis noceat vanæ tremulentia linguæ,
Nec fera quæ stygium pectora virus habent.
Vivi-

Vivite felices animis concordibus ambo,
Vna fides parili nectat amore duos.
Numina supplicibus veneraminor undiq; votis,
Vt vobis adsint, vos foveant & alant.
Jactatos vario vidi discrimine justos,
Non tamen hos vidi deseruisse DEVM.

Δίστιχον χρονολογικόν.

EXIt faX IbI qVarta NoVeMbrIs ab aXe DIeI,
Vt tIbI Ioannes ELIsabetha VenIt.

Honoris ergò scribebat
Johannes Hermes Stendal:
Palæo-Marchicus.

ALIVD.

DUm venit in thalamum Meckenheuseria virgo
Iane tibi, nomen dulce quietis habens.
Omina quæ-fidis bona-cũq; precamur amicis,
Ex animo tædis comprecor usq; tuis.
Pignoribus dives sit lectus, cista thaleris,
Ex voto cedant singula cœpta tibi.
Omnia multiplicet pax & concordia: nusquam
Irrepat technis dedita noxa malis.
Sic Pylij felix poteris, quos apprecor, annos
Conjuge cum castâ vivere: vive, vale.

Consanguinitatis ergò scripsit
Eberhardus VVerterus.

FINIS.




Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej
06393

